

Quicquid una cum aliquo est unum corpus, sequitur suum totum.

nes cum eis instituantur: ita ut quoque terminus constitui ad quem tela projici possint, quovis etiam modo navis ducatur. Navis enim cum aëre interiori, & omnibus ei inclusis, unum constituit corpus; Quicquid autem unà cum aliquo, unum constituit corpus, illud tanquam pars sequitur suum totum.

Unde necessariò sequitur, quod omnia quæ sunt super Terrâ & in aëre, unà rotentur cum Terra & aëreo ejus Systemate, sive sint guttæ cadentes, pluviae, nubes, venti, meteora, item lapides, tela, seu etiam globuli ex tormentis bellicis emissi, &c. quia omnia simul cum Terra unum consti-
tuunt corpus.

Sunt itaque Philosophorum quorundam contradictiones, quas ex motu (seu potius latione) cadentis lapidis, omniumque aliorum projectorum, contra Telluris motum inducunt, nullius momenti, quia fiunt in uno eodemque corpore, à quo simul rapiuntur, ductumque ejus necessariò

per omnia sequi coguntur, nec separatas motiones, (sicut hi Philosophi illas intelligere volunt) habere pos-
sunt.

Quanquam verò aér uniformiter ut diximus cum Terra circumgyra-
tur, tamen in locis, nimis sub Äquatore & Tropicis, ubi circumvo-
lutione Terræ ob majorem circumfe-
rentiam celerior est quam alibi, remis-
sio quædam parva sentitur, ita ut aér
raptui conversionis terrestris, totali-
ter non obediat; quo de Phænomeno
& ex qua causa oriatur, *anteced. cap. 5.*
& *seq. cap. 15.* videndum, non enim
leve argumentum, ad struendum Co-
pernicanae Systema adfert.

Porrò præsumendum est, sicut remissionem quandam aëris sub Äqua-
tore experimur, sic illum in altis sem-
per segnius Telluris circumvolutio-
nem sequi, ita ut in altissimis, ob sum-
mam ejus raritatem ac levitatem
(quæ simul virtutis impulsivæ est inca-
pax) nulla ferè circumvolutio perci-
pienda sit.

CAPUT XIII.

Terraqueus Globus non quiescit in Aëre.

Rationes quare Terra non quiescat in aëre.

Cum videamus Terram cir-
cumcirca aëre cinctam esse,
nullis autem columnis sufful-
tam nec funibus appensam; putamus
illam in aëre pendentem quiescere,
seu ut Germani dicunt *Schweben*.

Sed Aërem esse saltem omnium re-
rum, præsertim Marium, Aquarum,
Terrarumque effluvium, quod Ter-
raqueo globo circumquaque certo
pondere incumbat, satis superque de-
monstratum est; consequenter Tellus
ut totum in aëre tanquam ad se perti-
nenti parte, non potest quiescere.

Insuper si vellemus concedere,
quod Terra in aëre quiesceret, seque-
retur quod esset ejusdem gravitatis:
Quicquid enim quiescit in materia
aliqua circumfusa, illud est ejusdem
gravitatis (uti *ex. gr.* videmus, aërem
in aëre, aquamve in aqua & omnem
materiam in suo simili quiescere, quia
ejusdem sunt gravitatis: clarus exem-
plum habemus in globulo isto stante

in medio aquæ, *lib. 4.* hujus tracta-
tus *cap. 4.*) At Terra secundum Pe-
ripateticorum opinionem in aëre cir-
cumfuso quiescit: Ergo ejusdem est
gravitatis. Quod tamen pro vero non
habetur, quia Terram dicunt corpus
grave, aërem autem leve; consequen-
ter neque verum erit Terram in aëre
quiescere.

Præterea quod non sit, Terram in
aëre quiescere, ex eo constat, quia de-
monstrata est aëris gravitas circa Tel-
lurem; quæ necessariò existit, aut per
Telluris virtutem conservativam (de
qua actum est *lib. 4. cap. 5.*) aut per
sic dictam gravitatem corporum infe-
riorum, ipsius scil. aëris & ignis ele-
mentaris, &c.

Si existat per propriam Telluris
virtutem conservativam, impossibile
est, ut jam diximus, aliquid in eo qui-
escere posse, quod & ipsum tenet seu
ad se trahit: Ergo Terra non quiescit
in aëre, sed simul cum aëre, quem
tenet,

*Aëris cir-
cumvolu-
tio sub Tro-
picis aliquid
remittit.*